



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Continens Armamentarium Seu Panoplima Spiritualem - Id est, Varia arma
& media ad omnis generis tentationes fortiter sustinendas, & feliciter
superandas, Ad Omnium Quidem Animarum

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1688

Tent. X. Ob compressionem sub communionem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48377)

ad ipsam adeundam feratur. Certè in primitiva Ecclesia Christiani quotidie communicabant, esto esse conjugati, & prolibus operam darent. Sed & hodie plurimi sacerdotes quotidie celebrant, licèt dubium non sit, quin aliqui eorum nocturnas interdum illationes patiantur.

§. X.

Tentatio X. ob compressionem sub communionem.

CXL. **C**Unegundis illustris Matriona advertens quanta plerumque in solemnioribus precipuè Festis sit compressio Populi ad communionem accedentis, graviter se non raro tentari, atque ad indignationem commoveri, queritur, unde omnis populi devotio turbetur, & fructus communionis minuat. Queritur, quomodo huic tentationi occurrere debeat Confessarius?

Responsio.

CXLI. Inprimis illi suadeat, ut, quandoquidem rudior plerumque populus ejusmodi compressionem excitat, in aliquo loco quietam se contineat, donec pars hujus Populi refecta sit; sic enim sine incommodo eam quoque accedere posse. Neque difficile aut molestam ei diuturniorem moram accidere; potius gratulari sibi debere, quòd meliorem habet occasionem, perfectius se ad communionem disponendi, sicque copiosiore quoque gratiam reportandi, cum juxta mensuram dispositionis ipsa gratia in communionem conferatur.

CXLI

CXLII. Secundò eidem ostendat, quàm libenter pauperes & famelici per plures horas expectarent, si teirent, se post hoc tempus ad mensam magni Domini admittendos, & non refectioem tantùm optimam, sed etiam copiosa munera reportaturos esse; quàm parùm aded illi molesta accidere debeat mora unius semihoræ ut non modò ad convivium pinguissimum & panem Angelorum gustandum admitti, sed etiam copiosam gratiam & virtutes, pignusque gloriæ æternæ accipere possit.

CXLIII. Tertio eidem suadeat, ut, quemadmodum non paucæ devotæ personæ faciunt pridie vel postridie eandem communionem peragat, nisi festum aut dies ejusmodi sit, qui communionem determinato die præscribat; sic enim majori quiete communionem obibit, & tamen finem, quem per illam sibi præfixit, scilicet cultum & honorem Sancti obtinebit, cum perinde sit Sanctis, quocunque die colantur, & invocentur, maximè si legitimum impedimentum advertant intercessisse, quò minùs ipso eorum die Festo peragi poterit communio.

CXLIV. Quarto illi insinuet, quòd, sicut olim apud Longobardos Regis Filius non priùs ad mensam paternam admittebatur, quàm in bello alteri Regi servijisset, ita & hîc optima ad mensam divinam dignè frequentandam dispositio sit generosa victoria suorum hostium, & sui maximè, quo teste Thoma Kemp. non pejor est hostis; hinc Apoc. 2. dictum: *Vincenti dabo manna absconditum*, quale utique præ alijs est S. Eucharistia; cum ergo in tali compressione, hoc ipso quòd gravis valdè ipsi ob varias causas accidat,

optimam habeat occasionem, semetipsam vincendi
facile colligere poterit, quàm non modò non horret
illam, sed potiùs de ea gratulari, atque adeò magis
etiam patientiâ & æquanimitate supportare debeat.

C A P U T IV.

DE TENTATIONIBUS CIRCA CONCIONES
OCCURRERE SOLITIS.

§. I.

*Tentatio I. ob defectum occasionis ad
conciones audiendas.*

CXLV. **A** Nastasia Ancilla queritur Confessario
adeò laboribus & negotijs domesticis
cupari, ut nunquã diebus festis concionem audire
possit, indeque fieri, ut & in spiritualibus doctrinis
animæ Instructionem pertinentibus planè rudis
maneat, & nullo unquam solatio ex concionibus
capi solito fruatur, id quod non modicè eam affligit.
Queritur, quomodo Confessarius eam solari debeat.

CXLVI. Primò eidem suadeat, ut B. Aloysij
devotione JESU, exemplum sequatur, qui, cum nullo
in se librorum legendorum desiderium in se sentiret
tempus huic lectioni sufficiens se non habere ad-
mitteret, sic seipsum est allocutus: Dic mihi, Aloysi-
us, quam causam tantopere huic lectioni inhias? an
ut exciteris ad majorem perfectionem sectandam,
majorem abnegationem procurandam, ad obedien-
tiam perfectius exercendam? & quid si lectionem
de hac materia finijsses, acturus esses? an non opor-
tes occasionem tibi offerri hæc omnia præstandi.